



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

B. Lietbertvs Episcop. Cameracensis, Gallvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

B. LIETBERTVS  
 EPISCOP. CAMERACENSIS,  
 GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Baldericus Nouiomensis, & Tornacensis  
 Episcopus in Chronico Came-  
 racensi, & Atrebatensi,  
 lib. 3. cap. 61.

*Gerardus Pontifex fecit illum (Lietbertum)  
 semper consistere in presentia sua, & la-  
 teri suo adherere: & in IUDICIIS suis,  
 tam PUBLICIS, quam priuatis, AV-  
 DITOREM in primis, & mox IVDI-  
 CEM, insistere.*

Molanus in Natalib. SS. Belg. 23. Iunij,  
 ait, fuisse *Consulem populorum, & IVDI-  
 CEM multiplicium causarum.*

**N**obili stirpe satus hic Lietbertus, è  
 Prouincia Brachatensi, nobiliter à  
 Gerardo Episcopo educatus, ipsi suo  
 Educatori in Episcopali Sede successit,  
 à B. Vedasto tricesimus primus Camera-  
 censis,

censis, & Atrebatensis Antistes, sacrum illum Principatū capessiuit anno 1050. at eo, & simul vitā defunctus est anno 1076.

Præter Iudicis munus, etiam *Archidiaconatu, & Præpositurâ*, inquit Baldericus, à Gerardo donatus est. *Quibus acceptis honoribus ita utebatur, ut maioribus perfruendis dignior iudicaretur.*

Et verò perfruitus est. Nam aliquanto post, sublato rebus humanis Gerardo, iubente Henrico Imperatore, Cameracensis Episcopus renuntiatur cū plausu omnium planè extraordinario. & ut sic dixerim, Paradoxo. Etenim nobile illud Ecclesiæ Canticum, *Te DEVM laudamus*, à Diuis Ambrosio, & Augustino olim compositum, & rebus lætissimis decantari solitum, ipse Cæsar, suauiter modulans inchoauit, & cum Clero, ac Populo Ecclesiam petens, ad finem usque est profecutus.

Tam læta initia res deinceps non perinde prosperæ exceperunt. Redeunti nouo Pontifici Iohannes quidam, homo  
ambi-

ambitiosus, & violentus, Ciuitatis ingressum negat, nisi Castellani officium ipsi conferat. Sed turpiter ipse Iohannes à Comite Flandrię expellitur: Lietbertus gloriosè ingreditur, officiumq; memoratum Hugoni legitimo hæredi defuncti Castellani, vt decebat, concedit.

Pupugit ea res Iohannem. Itaque ad Imperatorē profectus, eum contra Lietbertum, simulq; Flandrię Comitem vehementer accendit. Qui iræ impotens, exercitum in Comitibus terras rapit, easq; depopulatus, igni, ac ferro vastat. Lietbertus nihilo secius, Iustitię retinens, nouum Castellatum tuetur. Sed urgente Imperatore, vt Castellatura (sic Baldericus vocat) Iohanni concedatur; primum animi incertus Lietbertus, tandem malis coactus, potentiori cedit. Rebus tamen Lietberti sapientiâ compositis, cum Hugo iterum castellaturam adeptus, tyrannum potius ageret, quàm Castellatum; & ab Episcopo excommunicatus, vicinum Cameracensi Ciuitati locum muniuisset, indeq; latro-

num

num in morem, prædas ageret; ab Episcopo inde eiectus est. At Hugo Episcopum, oues suas (vt bonum Pastorem decebat) regionatim visitantem, pressius obseruans, in pago quodam quiescentem obruit, & nudum capit, abducitque. E cuius tamen manibus ereptus Lietbertus, istis, totque alijs calamitatibus fortissimè, atque constantissimè superatis; ad Religionis, ac Munificentiaë studia conuertit animum.

Nam & DEI Genitricis Ecclesiam Cameraci magnis reuditibus auxit: & sacrosancti Sepulchri Dominici Monasterium extruxit, dotauitque.

Demum, cum reuerendâ canitie caput albèret; emorienti iuuentutis florem, coloremque rediisse, obseruauère, qui aderant: vtique vt intelligeretur, *renouatam* item, *vt aquila*, animi eius iuuentutem, æternùm in cælo vernare.

Obijt Anno Christi 1076. 25. Iunij.

S. K A-